

II. Porro constat per undecim & amplius secula uni-
versum Clerum jurisdictioni & regimini sui respective
Episcopi fuisse subjectum; nec unquam per ea tempora
in questionem venisse, num Clerici Decretis Episcopo-
rum in his quae morum atque disciplinae reformationem
attinebant, essent subjecti, eisque obedire deberent: ideo-
que nec ambigebatur, quin Clerici omnes etiam Syno-
dorum Episcopaliu[m] sanctionibus tenerentur; hisque in
omnibus se subicere juberentur.

III. Neque hac in parte ulla erat Clericos Regulares
inter & saeculares distinctio. Hoc ipso enim quo Mona-
chi sive Religiosi Clero adscribebantur, mox in omni-
bus non secus ac alii de Clero subiciebantur ipsi Epi-
scopo, tamquam totius Cleri suae Ecclesiae Capiti &
Pastori.

IV. Quinimo multis saeculis juxta Canonicas sanctio-
nes praefertim Concilii Chalcedonensis Canonem quar-
tum, Monachi universi Episcoporum jurisdictioni sub-
jecti fuerunt; ipsorumque consequenter Episcoporum ac
Synodorum Episcopaliu[m] Ordinationibus & Decretis
subjecti, uti latius infra ubi de exemptionibus Monacho-
rum agetur, probabitur.

V. At postquam hisce posterioribus Ecclesiae saeculis,
non tantum Monachi, sed etiam Clerici praecipue Cano-
nici exemptionem a jurisdictione Episcoporum a Roma-
nis Pontificibus praetulerunt, & subinde obtinuerunt,
quaestiones frequentes excitari coeperunt, circa obedi-
entiam quam Capitula Canonicorum & Monachorum
Monasteria debent Decretis & Ordinationibus Syno-
dorum Episcopaliu[m].

VI. Illud imprimis indubitatum manet, Capitula Ca-
nonicorum alioque clericos subijci Synodis Episcopa-
libus, in omnibus quae ipsos concernunt, quamdiu ple-
ne non constat de eorum exemptione. Quamdiu enim
dubia est exemptio, salva manet ordinatio Episcoporum
auctoritas juri communi innixa; uti latius dicitur loco
citato.

VII. Adhaec certum quoque est, canonicos etiam
exemptos subijci ordinationibus Synodorum Episcopa-
lium in omnibus quae concernunt materiam non exem-
ptam; id est, in his ad quae exemptio se non extendit; de
quibus similiter infra tractabitur.

VIII. Quinimo cum ex Decreto Synodi Tridentinae
Clerici in his quae correctionem ac reformationem mo-
rum & abusu[m] concernunt, Episcopis subijciantur non
obstante quacumque exemptione, etiam Synodis Episcopa-
libus in his subijci erunt.

Cum vero Synodi hodie non tam circa forensium
quaestione[m] decisionem, aut judiciarios processus, quam
circa reformationem morum & disciplinae versentur, vi-
detur quod Capitula Canonicorum quantumvis exem-
pta merito dici possint Decretis Synodorum esse subje-
cta; atque ita declarasse Sacram Congregationem Conci-
lii Tridentini Interpretum testatur Synodus D. Mechli-
nensis tit. 24. "Sciant, ait, Capitula exempta, exem-
ptionemque praetendentia se non tantum ad Statuto-
rum Synodi Diocesanae, verum etiam ad Decretorum
Synodi Provincialis, uti a Sacra Congregatione decla-
ratum est, observationem teneri." Idem repetit Syno-
dus Namurcensis an. 1659, tit. 25.

IX. Quoad Regulares exemptos, ipsos legibus Syno-
dorum Episcopaliu[m] teneti in iis omnibus quae mate-
riam non exemptam concernunt; & generaliter in omni-
bus in quibus etiam Episcoporum Decretis non obstan-
te exemptione subijciuntur, ambigi nequit. Unde conse-
quenter ut intelligi queat, in quibus Regulares exempti
Synodis Diocesanis subdantur, scire oportet, ad quae ex-

emptio ipsa Regularium se extendat, quod infra titulo
De exemptionibus latius dicitur.

X. Quin si Episcoporum jurisdictioni tamquam Sedis
Apostolicae Delegatorum Regulares subdantur, etiam ad
Synodum Episcopalem accedere tenebuntur, si ad eam
ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicae Delegato vocen-
tur; ejusque ordinata observare, ut late probat Fagna-
nus ad Cap. QUANTO De Officio Ordin. & per speciale
Breve declaravit Alexander VII. quod ibidem a Fagnano
refertur num. 64.

XI. Quia autem non satis convenit Episcopos inter &
exemptos, quae sit materia exempta, quae non exempta; &
in quibus obedire teneantur variae solent occasione ista-
rum exemptionum oriri quaestiones & jurgia Episcopos
inter & exemptos, praecipue Regulares.

XII. Hac de causa teste Cardinali De Luca Disc. 30. ad
Concil. Trid. n. 9. ob ista jurgia, quae Synodi Diocesa-
nae cum exemptis parere solent, "a Sacra Congregatione in
Italia injunctum est Episcopis, ut jam editas Synodales
Constitutiones eidem examinandas, & confirmandas
transmittere debeant, istaque, ait, est praxis.

XIII. Ulterius, quia in Synodis interdum quaedam
occurrunt, quae licet Ecclesiastica officia, aut functiones,
vel Ecclesiasticorum aut Ecclesiarum jura concernere
videantur, temporalia tamen etiam attingunt, difficulte
Laici haece Ordinationibus se subijciunt, nisi auctoritas
Regia accedat.

Neque enim credunt, auctoritatem Episcoporum aut
Ecclesiasticorum eo se extendere, ut in his quae tempo-
ralia sunt, laicis absque Regio consensu legem ponant;
ut sunt v. g. jura sepulturae, decimarum, oblationum;
item quae Hospitalium aut etiam mensarum S. Spiritus
aut Fabricae Ecclesiae administrationem concernunt; a-
liaque similia.

Hinc videmus Synodos passim confirmationem Re-
giam postulare; atque ultimam Diocesana[m] Namur-
censem a Rege tam in Concilio Privato, quam Braban-
tiae examinatum & probatum videmus.

XIV. Quin & aegre hic in Belgio permitteretur sine
praevio Regis consensu Synodorum publicatio; ne forte
aliquid contra jus Regis aut Vassallorum contineretur.

Et quidem cum anno 1639. Episcopus Namurcensis
Synodalia sua statuta evulgasset sine consensu Regis; Se-
natus Namurcensis litteris datis ad Concilium Privatum
exposuit, Episcopum hac publicatione praedijicare au-
toritati Regiae. Habitae deliberatione Concilium Pri-
vatum scripsit Episcopo Namurcensi, quod excessisset li-
mites suae potestatis, atque praedijcasset auctoritati Re-
giae publicando sua Statuta Synodalia sine consensu Re-
gis; injunxitque ipsi, ut omnia exemplaria dictorum sta-
tutorum retraheret, & eorum executionem suspenderet;
deinde Concilio Namurcensi scripsit, ut invigilaret an
haec mandata executionem haberent; Haec scripta fuere
anno 1644.

Idem judicavit Concilium Privatum anno 1605. circa
Synodum Tornacensem similiter sine consensu Regis
publicatam; ac iterum occasione alterius Synodi Torna-
censis anno 1645. haec latius referuntur in saepius citato
Regesto MS. Archiepiscopatus Mechliniensis.

XV. Haec controversiae & quaestiones quae tum ratione
exemptionum Regularium & Capitulorum, tum jurium
laicorum oriri solent inter Episcopos & Exemptos, ac
etiam laicos super executione Ordinationum Synoda-
lium, non dubium, quin contribuerint ad omissionem Sy-
nodorum; quantumvis negari nequeat, quin ex earum
omissione magnopere disciplina Ecclesiae patiatur, & ab-
usus incrementum accipiat.

TITULUS XIX.

De Metropolitanis.

CAPUT I.

Quando & a quibus Metropolitanis instituti?

- 1 Antiqua est Metropolitanorum institutio.
- 2 Synodus Nicenam praecessit.
- 3 Metropolitanorum nomen derivatur a Metropoli Civili.
- 4 Episcopus qui Metropoli praestitit dicitur esse Metropolitanus.
- 5 Metropolites Ecclesiastica ad normam Civilium formata fuerunt.
- 6 Probatur ex Concilio Niceno.
- 7 Item ex Concilio Taurinensi.
- 8 Ratio hujus disciplinae.
- 9 Divisa per Principem Provinciae duo constituebantur Metropolitanici.
- 10 Posterioribus saeculis Metropolis erectio a Metropoli Civili sejuncta fuit.
- 11 Devoluta est erigendi auctoritas ad Romanum Pontificem.
- 12 Intervenire debuit consensus Principis, quod pluribus exemplis probatur.
- 13 Haec est moderna Ecclesiae disciplina.
- 14 Archiepiscopus Rhenensis protestatus est contra erectionem Metropolis Cameracensis, quia consensus Regis non intervenerat.

Tamet si non constat, Metropolitanam dignitatem ab Apostolis esse institutam; vel utrum Apostoli aliquibus Ecclesiis a se fundatis, aut eorum Episcopis quaedam jura & privilegia in alias Ecclesias concesserint, eam tamen antiquissimam esse nemo inficari potest.

II. Synodus Nicena sub Constantino M. multis locis supponit, Metropolitanorum institutionem ab antiquo factam. Canone IV. ait: "Eorum autem quae sunt, confirmationem in unaquaque Provincia a Metropolitanis fieri oportet. Item Canone VI. "Illud autem est omnino manifestum, quod si quis absque Metropolitanis sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definitur non esse Episcopum." Imo Canone VII. annuens Episcopo, quae est in Aelia, sive Episcopo Hierosolymitano aliquam honoris praerogativam, addit hanc cautionem: "Metropoli propria dignitate servata: quae omnia Metropolitanorum institutionem, non a Synodo Nicena primum institutam, sed jam ab antiquo factam sat patenter supponunt.

III. Unde verò Metropolitanorum institutio originem suam sumpserit, non aequè expeditum. Hoc sat constat, Metropolitanos dici a Metropoli. Metropolis vero dicitur Urbem matrem: id est, quasi primam & praecipuam reliquam veluti matrem. Quoniam verò in unaquaque Provincia urbs est aliqua, quae inter ceteras eminent, haec dicta est Metropolis; ac ideo Episcopus qui hujusmodi urbi praestitit, Metropolitanus dicitur fuisse, qui quibusdam jurebus & praerogativis praeter ceteris, & in ceteras Ecclesias donatus fuit.

IV. Illud quoque sat compertum est, jam pridem Metropolitanum dictum fuisse Episcopum, qui Metropolis, sive civitati, quae in certa Provincia praerogativis & jurebus ceteras antecellebat, praesidet.

V. Neque illud ambigi potest, quin Metropoles Ecclesiasticae ad normam Metropoleon Civilium formatae fuerint; sive consuetudine primum introductum, ac postmodum Conciliorum Decretis firmatum fuisse, ut Metropoles Civiles, simul essent Metropoles Ecclesiasticae; seu, ut li-

Van Espen Jus Eccles. P. I.

Episcopus qui praesidet civitati, quae in divisione Imperii esset totius Provinciae prima seu Metropolis, unde aliae dependere, etiam in Hierarchia Ecclesiastica esset Metropolitanus, ceterisque Episcopis ejusdem Provinciae praesidet: imò tota Ecclesiarum distributio ad formam Imperii facta est; Urbesque Metropoles etiam Metropoles fuere Ecclesiasticae; atque earum Episcopus factus Metropolitanus; qui & sensim variis jurebus & praerogativis in ceteras Ecclesias ejusdem Provinciae fuit donatus.

VI. Et quid enim Nicenos Patres impellere potuit, ut potius Caesarem jus Metropolitanum, quam Aeliam conferrent sive conservarent, nisi quòd illa Provincia esset Metropolis, non haec; atque propterea jus Metropolitanum ad illam esset translatum: ideoque Patres Niceni etiam simpliciter dicunt: "Metropoli propria dignitate servata: sat inveniunt, eam Metropoli esse propriam.

VII. In Concilio Taurinensi statutum est, illi totius Provinciae Primatum deberi, qui suam civitatem demonstrasset Metropolim: quia scilicet non aliunde Metropolitanam Ecclesiam statuitur; quam ex ipsius urbis Metropolitanica Civilitate dignitate.

VIII. Quod apertius expresserunt Patres Antiocheni, qui & rationem illius aliquam addunt Can. 9. "Episcopum, qui Metropoli praesidet, etiam curam suscipere oportet totius Provinciae: eò quòd in Metropolim una, de qua concurrant omnes qui habent negotia. Unde visum est, eum quoque, honore praecedere, reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso."

Constat ergo Metropoles civiles electas fuisse ut essent Metropoles Ecclesiasticae; atque Episcopus Metropolis Metropolitanus, qui totius Provinciae curam ageret, eò quòd ad Metropolim civitatem unde qua concurrant omnes, qui habent negotia: ideoque conveniens quoque videbatur, ut ad eam civitatem negotia Ecclesiastica potius, quam ad ullam aliam deferrentur; eòque potius, quam alibi, Episcopi, aliique, qui quaestiones haberent, convenirent.

IX. Hinc ulterius continebat, quemadmodum etiam notat Lupus ad Canonem XII. Chalcedonensem, "Ut divisae per Principem Provinciae, quomodo duos Praefules, seu Civiles Rectores, ita duos acciperet Episcopos Metropolitanos."

Unde factum, ut Episcopi Metropolitanica jura ambientes Imperatores a darent, a quibus obtenta Metropoles in urbis suae gratiam dignitate, Ecclesiastica etiam Metropolitanica jura & Provincialium ordinationes invallebant: uti latius exposui ad Canonem XII. Chalcedonensem; ubi una ostendi, quomodo Synodus Chalcedonensis, salva Principum auctoritate in distribuenda una Provincia in plures, hanc Episcoporum ambitionem reprobaverit, & refraxerit.

X. Labentibus autem saeculis Metropoles Ecclesiasticae paulatim a Metropoli civili disjungi coeperunt; neque urbium erectio ad Metropolim civilem secum traxit Metropolim Ecclesiasticam; sed pro utilitate ac necessitate Ecclesiae, quaedam Ecclesiae, quae opportuniore videbantur, in Metropoles erectae fuerunt.

XI. Porro haec Metropoleon institutio & erectio jam a saeculis aliquot ad Romanum Pontificem devoluta fuit, ita tamen ut consensus Principis interveniat; nec non Suffraganei aliique interesse habentes audiantur.

XII. Et quidem anno 832. Ludovicus Pius ordinari jussit Angarium Amaburgensem Archiepiscopum in quadam Synodo Nationali, obtinuitque pro eo Pallium & ordinatio Metropolitanorum jura a Pontifice, uti narrat

Adamus Chronologista lib. 1. c. 17. his verbis: "Habito Sacerdotum generali Concilio, Pius Casar votum Patris implere cupiens, Amaburg civitatem Transalbanam notum Metropolim statuit, eique Cathedra primam Archiepiscopum ordinare fecit Ansgarium &c. Roborante id Gregorio IV. Apostolica auctoritate, & Pallii donatione."

Eodem saeculo Joannes VIII. Ecclesiam Ovetensem in Galicia in Metropolim erexit ad postulationem Regis Alphonsi: "Et Ecclesia Ovetensi, ait, quam vestro consensu & assidua petitione Metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus. Et concessimus etiam praedictae Sedi, ea quae Reges seu fideles justè obtulerunt... rata, firma & inconvulsa manere in perpetuum."

De erectione Ecclesiae Beneventanae in Metropolim scribens ad recentem euectum illius Ecclesiae Metropolitanam Joannes XIII. ait, se illam Ecclesiam in Metropolim erexisse hortatu Imperatoris, Episcoporum & Clericorum Ecclesiae Romanae in Synodo Romana, & postulante Principe Capuano; uti videri potest in Epistola ipsius Papae, quae extat tom. 9. Concil. generalium col. 1238.

XIII. Haecque est moderna Ecclesiae disciplina, ut & Episcopatum & Archiepiscopatum sive Metropoleon institutio seu erectio non nisi auctoritate Papae, interveniente tamen Principis consensu; imò ferè non nisi ad ejus postulationem fiat.

Ita quoque ad postulationem Philippi II. Hispaniarum erectos fuisse novos in Belgio Episcopatus & Metropoles, significat ipse Pontifex Paulus IV. in Bulla erectionis.

XIV. Quin protestatum fuisse Archiepiscopum Rhemensem in suo Concilio Rhemeni an. 1565. contra erectionem Ecclesiae Cameracensis in Metropolim; eò quòd non audito Rege Christianissimo ab Archiepiscopatu Rhemeni divulsa esset ipsa Cameracensis aliaque, quae cum antea essent suffraganae Rhemenis Ecclesiae, jam essent suffraganae Cameracensis, testantur acta Concilii Rhemenis anni 1564.

CAPUT II.

Quam obedientiam Episcopi Suffraganeidebeant suis Metropolitanis.

- 1 Canonica Apostolorum Episcopos suis subjiciunt Metropolitanis.
2 Canonis Apostoli meminit Synodus Antiochena.
3 Synodus Nicæna Episcopos suis Metropolitanis subjicit.
4 Eandem auctoritatem agnovit Innocentius III.
5 Episcopum non obedientem suo Metropolitanano increpavit Sanctus Gregorius.
6 Episcopi jam pridem iuramentum fidelitatis praestiterunt suo Metropolitanano.
7 Refertur formula ex Pontificali Romano.
8 Iuramentum illud simile est illi quod hodie exhibetur Pontifici Romano.
9 Unde hodie immixta Metropolitanorum auctoritas.

Metropolitanorum auctoritatem in suos Suffraganeos, sive Episcopos suae Provinciae, jam pridem Canones Conciliorum, & Pontificum Decreta amplissimè astruxerunt. "Episcopos (ait Canon. 33. Apostolorum) uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est primus, & existimate ut Caput; & nihil facere, quod sit arduum aut magni momenti, praeter illius sententiam: illa autè facere unumquemque, quae ad suam Parochiam pertinent, & pagos qui ei subsunt. Sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat." (in aliquo-

tum versione additur: aliquid in eorum Parochiis) "Sic enim erit concordia, & glorificabitur Deus per D. N. JESUM CHRISTUM."

II. Ad hunc Canonem sat aperitè alludunt, eumque innovant Patres Concilii Antiocheni Can. 9. "Episcopos, qui sunt in unaquaque Provincia scire oportet Episcopos, qui praestant Metropolim, etiam curam suscipere totius Provinciae, eò quòd in Metropolim undequaque concurrant omnes qui habent negotia. Unde visum est eum quoque honore praecedere: reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut vult, qui ab initio obtinuit, Patrum Canon."

III. Quid plura? "Decreta Nicæna (inquiunt Patres Africani in epistola ad Caesarium Papam) sive inferioris gradus Clericos sive ipsos Episcopos suos Metropolitanis aperitissimè commiserunt." Habetur tomo 1. Concil. generalium. col. 1674.

Hinc comperitur est, Episcopos quidem semper liberum fuisse Dicecesium suarum regimen seu directionem; neque Metropolitanis fas fuisse in hoc regimine Episcopos turbare; nihilominus Episcopos debuisse agnosce & Metropolitanum tamquam Caput, & Superiorem, qui juxta regulas sibi ab Ecclesia praescriptas, vel solus, vel unà cum ceteris Provinciae Coepiscopis ipsos delinquentes vel à Canonu praescripto in suae Dicecesis regimine desidentes, corrigere & interdum punire posset; eoque sensu Metropolitanus, jam pridem habitus fuit ordinarius administrator, corrector, & iudex suorum Suffraganeorum.

IV. Innocentius III. ad Suffraganeos Arelatensis Metropolitanam scribens, ipsum Suffraganeorum Praelatum vocat; "quatenus ipsi tamquam Patri, inquit & Episcopopo animarum vestrarum, devotè studeatis & humiliter obedire: ad vocationem ipsius, nisi evidens necessitas contradicat, secundum traditionem Canonicae sine difficultate qualibet accedentes." lib. 1. Epist. 466. Et ad Suffraganeos Acheruntinae scribit: "Fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus ad eum (Archiepiscopum Acheruntinum) sicut Patrem & Pastorem pium geratis devotio-nis respectum." Lib. 2. Epist. 159.

V. Indubitatum ergo fuit, quòd Episcopi ad reverentiam ac obedientiam tenerentur. Unde S. Gregorius Felicem in Sardinia Episcopum graviter objurgavit, quòd suo Metropolitanano obediens non esset, vindictamque ei, nisi obediatur, somminatur: "Contristamur, ait, quia superbia de te manifestè praebet indicium. . . . hortamur, ut mentis timore deposito, Ordinatori tuo antedicto Fratri & Coepiscopo nostro humilem te exhibere, ac parere non desinas." Lib. 4. Epist. 10.

VI. Sed nihil est quòd luculentius exprimat obedientiam & subjectionem quam suis Metropolitanis jam pridem debuisse Episcopos, quàm iuramentum, quòd in Ordinatione sua praestare debebant, & cujus formula etiamnum in hodierno Pontificali conservatur sub titulo De serutinio serotino.

VII. Sub hoc titulo describitur, quo ritu perageretur examen Episcopi ejusque consecratio à Metropolitanano, dum ipsa Episcoporum electio esset penes Canonicos Cathedrales, & confirmatio & consecratio fiebat à Metropolitanano; atque inter alia refertur iuramentum ab Ordinario praestandum ipsi Metropolitanano sub hac formula: "Ego N. Ecclesiae N. vocatus Episcopus, promitto in conspectu omnipotentis Dei, atque totius Ecclesiae, quòd ab hac hora in antea fidelis & obediens ero perpetuo more praedecessorum meorum beato N. sanctaeque Ecclesiae N. nominando Ecclesiam Metropolitanam, & vobis D. meo N. Dei gratia ejusdem Ecclesiae Archiepiscopo, vestrisque successoribus Canonice intrantibus prout est à SS. Patribus institutum, & Ecclesiastica ac Rom. Pontificum commendata auctoritas. Non ero in consilio, aut consensu, vel in facto, ut vitam perdatis, aut membrum, aut capiamini mala captione. Consilium, quòd

quòd mihi per vos, aut per litteras, vel per nuntium credituri estis, ad damnandam vestram, nisi sciente, nulli pan-dam. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuerim Canonica praedictione. Vos quoque & nuntios vestros, ac Ecclesiae N. nominando Ecclesiam Metropolitanam, quos certos esse cognovero, in eundo, stando, & redondo, honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo: possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam, neque donabo; neque de novo in feudabo, vel aliquo modo contra jus vel consuetudinem Ecclesiae meae alienabo, vobis, vel vestris successoribus inconsultis.

Deinde librum Evangeliorum quem Metropolitanus coram eo apertum super genibus tenebat, Electus ambabus manibus supra scripturam tangebat, dicens: "Sic me Deus adjuvet, & haec sancta Dei Evangelia."

VIII. Hanc formulam si quis conferat cum formula juramenti quòd Romano Pontifici praestant Episcopi, apparebit, Episcopos eandem penè obedientiam jurasse Metropolitanis, quàm hodie promittunt ipsi Romano Pontifici; atque verissimum esse, quòd notavit antiquus Glossographus Juris Canonici, iuramentum fidelitatis tantum praestitum fuisse Romano Pontifici ab Episcopis immediate Romano Pontifici subiectis; sive qui ad ejus ordinationem spectabant; reliquos vero illud suis Metropolitanis tamquam suis Ordinatis praestitisse; uti supra Titulo 15. c. 2. observavimus.

IX. Cum verò circa saeculum decimum quartum confirmatio & consecratio Episcoporum ad Romanum Pontificem coepit devolvi, atque Romanus Pontifex exclusis Metropolitanis, ordinarius Episcoporum Consecrator constitutus fuit, etiam ipsi soli iuramentum obedientiae & fidelitatis praestitum est; atque exinde unà coepit Metropolitanorum in Episcopos Suffraganeos auctoritas non nihil diminui; eamque hodie non parùm immixtam esse re-ctè notavit Zypaeus in fine Novo titulo De Officio Ordinaris n. 15. & ex infra dicendis patebit.

CAPUT III.

In quibus causis Metropolitanus sit Iudex Ordinarius Episcoporum?

- 1 Querela Episcoporum juxta Canonum Decreta ad Metropolitanum deferenda.
2 Id etiam locum habebat in prima instantia.
3 Etiam per Censuras contra Episcopos procedere possunt Metropolitanis.
4 Metropolitanus est iudex Ordinarius suorum Suffraganeorum.
5 Metropolitanorum auctoritatem in causis Episcoporum immixtissimè Synodus Tridentina.
6 Causae criminales, ubi Episcopi personaliter comparere debent, coram Pontifice celebranda.
7 Majores causae criminales Episcoporum à solo Pontifice decidenda.
8 Quando haec causa Sedi Apostolicae sint reservata, incertum fuerunt tamen ante Synodum Tridentinam.
9 Quaedam circa haec Decreta Concilii Tridentini à Belgicis Magistratibus in publicatione Concilii observata.
10 Mores Belgii non patitur ut Episcopi extra suas Provincias judicentur.
11 Debent dari iudices in partibus.
12 Jus illud est admodum antiquum.
13 Metropolitanis in causis civilibus manent iudices suorum Suffraganeorum.
14 Quid hic in Belgio obtineat?
15 Hodie Episcopi vix in civilibus coram Metropolitanis conveniuntur.

I. N. Concilio Carthageni III Can. 7. & apud Gratianum 4. q. 5. can. 1. legitur: "Quisquis Episcoporum accusatur ad Primatem Provinciae ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam, die statuta, Primatis Litteris evocatus minime occurrerit."

Ad intellectum hujus Canonis notandum in Africa Primates Provinciarum eosdem fuisse, qui hodie dicuntur Metropolitanis; adeoque Episcopos accusari apud Primatem Provinciae, est accusari apud Metropolitanum Provinciae. Indubitatum ergo est, apud Africanos, Primates seu Metropolitanos actus judicarios in Episcopos exercuisse.

Et ex Concilio Toletano III. refertur apud Gratianum 10. q. 2. can. 6. "Ut Clerici tam locales, quàm Diocesani, qui se ab Episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant, & Metropolitanus non moretur ejusmodi praesumptiones coercere."

II. Patet hic non de appellationibus sermonem esse, sed de excessibus Episcoporum, quos per modum simplicis querelae laxè deferant contra Episcopum ledentem ad Metropolitanum tamquam iudicem primarium & ordinarium Episcoporum.

Quòd & aperitè decidit Concilium Matifconense II. ubi Can. 9. habetur: "Si aliquid contentions adversus Episcopum potentior persona habuerit, pergat ad Metropolitanum, tanquam Episcopum, & ei causas alleget, & ipsius sit potestatis honorabiliter Episcopum de quo agitur evocare, ut in ejus praesentia accusatori respondeat; & oppositas sibi actiones extricet. Quòd si talis fuerit immunitas causa, ut eam solus Metropolitanus definire non valeat, advocet secum unum, vel duos Coepiscopos. Quòd si & ipsis dubietas fuerit Concilium definitum die, vel tempore instituant, in quo universa sit fraternitas collecta, Coepiscopi sui causas discutiat, & pro merito aut justitiae aut culper."

III. Utque pristina Conciliorum de hac Metropolitanorum in Episcopos ordinata & judiciali auctoritate Decreta plura omittam, ipse Honorius III. in Cap. 2. De sententia excomm. Canoniamensem Episcopum à sententia excommunicationis in ipsum per Turonensem Archiepiscopum tamquam suum Metropolitanum lata ad cautelam tantum absolvit, ipso Episcopo in praesentia Procuratoris dicti Archiepiscopi praesente corporaliter iuramentum, quòd parebit mandatis, quae idem Archiepiscopus sibi propter hoc fecerit, si constitit ipsum in eo, pro quo fuit lata sententia praedicta, culpabilem esse.

Agnovit proinde Honorius III. in Metropolitanano potestatem Excommunicandi Episcopum Suffraganeum; quam & in Archiepiscopo Rhemeni respectu suorum Episcoporum Suffraganeorum supposuit Innocentius IV. in Cap. 1. §. fin. De Officio Ordin. in VI.

IV. Hinc uno consensu tradunt Canonistae, de jure communi Metropolitanum esse iudicem ordinarium suorum Suffraganeorum; & contra illos per solam querelam, etiam sine appellatione, posse coram Metropolitanano induci accusationes; ipsosque Metropolitanos posse quibusque censuris Suffraganeos ex justa causa agere, aperitissimè concedunt. Vide Stephanum Quarantam in summa Bullarii, verbo: Archiepiscopi auctoritas; & Panormitanum aliosque veteres Interpretes ad Cap. PASTORALIS De Officio Ordin.

V. Hanc Metropolitanorum in suos Suffraganeos judicariam potestatem per Concilium Tridentinum in aliquibus causis, praesertim criminalibus immixtam ac immutatam esse, rectè advertit Zypaeus loco supra citato.

VI. Et quidem Sess. 13. c. 8. De Reform. decretum est, Causae Episcoporum, cum pro criminis, objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur.